



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt episcopi comprounciales, peregrina iudicia non patiantur. cxlvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

tionis vitam ducunt : quoniam tales facilè & indifferenter lacerant, & criminantur rectè & piè viuentes. Ideo suspicio erum discutienda est primò & corrigenda. Neque accusatoribus suspectis, vel de inimicorum domibus prodeuntibus credendum.

Episcopus si ab aliquo pulsatur, per episcopos iudices causa finatur. Cap. CXLV.

SI quis episcopus à quoquam impetitur, vel ille aliquam questionem retulerit, per episcopos iudices causa finatur: siue quos eis primates dederint, siue quos ipsi vicinos ex consensu elegerint. *Ex cōcil. Spalensi, cap. 8.*

De episcopis iudicibus quos communis consensus elegerit. Cap. CXLVI.

Iudices autem episcopos, quos communis consensus elegerit, non liceat quemquā prouocare: & quisquis probatus fuerit pro cōtumacia nolle obtemperare iudicibus. cū hoc primæ sedis episcopo fuerit probatū, det literas, vt nullus ei cōmunicet episcoporū, donec obtēperet. *Ex eodē cōc. ca. 9.*

Vt episcopi comprounciales peregrina iudicia non patiantur. Cap. CXLVII.

Peregrina verò iudicia, salua in omnibus apostolica autoritate, generali sanctione prohibemus. Quia indignum est vt ab exteris iudicetur, qui prouinciales & à se electos debet habere iudices, nisi fuerit appellatū. Vnde oportet, si aliquis episcoporum super certis accusetur criminibus, vt ab omnibus audiatur qui sunt in prouincia episcopis: quia non oportet accusatum alicubi quàm in foro suo audiri. *Ex decre. Fabiani papæ Hilario episcopo missis, ca. 26.*

De episcopo criminato, si iudicem suspectum habuerit. Cap. CXLVIII.

SI quis verò episcopus iudicem suspectum habuerit, & viderit se ingrauari, liberè sedem apostolicam appellet. Appellantiem autem non habeat afflictio vlla, aut detentionis iniuriosæ custodia, sed liceat appellatori cōuiciantum causam appellationis remedio subleuare: licet etiam in causis criminalibus appellare, nec appellandi vox denegetur ei, quem in supplicium sententia destinarat. *Ex decre. eiusdē ad eundē episcopū missis, ca. 27.*

Si quis episcopus in crimine detentus fuerit, & non potest plurimos congregare, à XII. episcopis audiatur. Cap. CXLIX.